

Post dies octo, venit Iesus.

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 20, 19-31

- ¹⁹ **C**um esset sero die illa prima sabbatórum,
et fores essent clausæ,
ubi erant discípuli propter metum Iudæórum,
venit Iesus et stetit in médio et dicit eis:
«Pax vobis!».
- ²⁰ Et hoc cum dixisset,
osténdit eis manus et latus.
Gavísi sunt ergo discípuli, viso Dómino.
- ²¹ Dixit ergo eis íterum:
«Pax vobis!
Sicut misit me Pater,
et ego mitto vos».
- ²² Et cum hoc dixisset, insufflavit et dicit eis:
«Accípite Spíritum Sanctum.
- ²³ Quorum remiséritis peccáta, remíssa sunt eis;
quorum retinuéritis, reténta sunt».
- ²⁴ Thomas autem, unus ex Duódecim,
qui dicitur Dídymus,
non erat cum eis, quando venit Iesus.
- ²⁵ Dicébant ergo ei álii discípuli:
«Vídimus Dóminum!».
Ille autem dixit eis:
«Nisi vídero in mánibus eius signum clavórum
et mittam manum meam in latus eius,
non credam».
- ²⁶ Et post dies octo
íterum erant discípuli eius intus,
et Thomas cum eis.
Venit Iesus iánuis clausis
et stetit in médio et dixit:
«Pax vobis!».

- ²⁷ Deínde dicit Thomæ:
«Infer dígitum tuum huc
et vide manus meas
et affer manum tuam
et mitte in latus meum,
et noli fieri incrédulus sed fidélis!».
- ²⁸ Respóndit Thomas et dixit ei:
«Dóminus meus et Deus meus!».
- ²⁹ Dicit ei Iesus:
«Quia vidísti me, credidísti.
Beáti, qui non vidérunt et credidérunt!».
- ³⁰ Multa quidem et ália signa fecit Iesus
in conspéctu discipulórum suórum,
quæ non sunt scripta in libro hoc;
- ³¹ hæc autem scripta sunt,
ut credátis quia Iesus est Christus Fílius Dei,
et ut credétes
vitam habeátis in nómine eius.

Verbum Dómini.